Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3233
Quelle:
Copyright:

ſermo preſens cum ſitis ipſi per me tanquam prelatum et ſuperiorem veſtrum immediatum viſitandi &c. Autor eruitur ex verbis mox ſequentibus: *non mihi ut Reynhero ſed abbati Hornbacenſi*, quod Coenobium in Ditione *Bipontina* ad *Lotharingiae* fines eſt.

XXXVI. *fol.* 412. Varia ad Inſtitutum et Conſuetudines O. S. B. pertinentia, praemiſſa Bulla *Martini* V. contra Simoniacos data *Mantue VIII. kal. Dec.* anno Pontif. ſecundo.

XXXVII. *fol.* 420. *Theodorici de Monaſterio* Opuſculum ad S. *Aegidii Colon.* Moniales de Reditibus annuis in ſuum uſum convertendis, ut jam alias, docente *Indice.*

DCCCCLXIV.

547 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 239. 4. charactere minuto difficili exaratus et quondam pertinens ad Coenobium Ord. Ciſt. *Vallis S. Petri in Heiſterbach* Collectanea exhibet ordine ſequenti: I. Varia *de Poteſtate eccleſiaſtica* e Scriptis *Job. Gerſonis*, et Conciliis *Baſil. Conſtant.* et *Nicaeno* excerpta.

II. *fol.* 13. *Alexandri* domo *Faſſitelli* patria *a S. Elpidio* Marchiae *Anconitanae* Oppido Ord. Erem. S. Aug. Prioris Generalis et Epiſcopi *Melfetani Libri II. de Eccleſiaſtica Poteſtate.* Prooemium incipit: *Sanctiſſimo in chriſto patri ac Reuerendiſſimo domino domino Jobanni* (XXII.) *diuina prouidentia ſacroſancte Romane ac vniuerſalis eccleſie Summo pontifici. frater allexander de ſancto Elpidio fratrum beremitarum ordinis ſancti Auguſtini theologice facultatis profeſſor licet inutilis et indignus cum ſumma reuerencia deuota pedum oſcula beatorum. Preſens opuſculum clementiſſime pater de eccleſiaſtica poteſtate ex dictis catholicorum Doctorum Collectum* &c. Uterque Liber *Capitibus* X. definitur, potiusque *de Pontificia* quam *de Eccleſiaſtica Poteſtate* inſcribi debebat, ita liberaliſſime in Pontificem congeruntur omnia. L. I. C. 6. et 7. probatur, Poteſtatem Jurisdictionis in Epiſcopis et Curatis non eſſe immediate a Chriſto. L. II. magna pars inſumitur in adferenda Pontifici Plenitudine Poteſtatis in Temporalibus. Verum Liber hic in *Codice* valde imperfectus eſt. Totum tamen Opus ſtudio *Angeli Vantii* Erem. Aug. vulgatum eſſe *Arimini* 1624. teſtatur *Felix Oſſingerus* in *Bibl.* Ordinis p. 312. ubi et Autorem noſtrum ad plures abiiſſe diſces a. 1325.

III. *fol.* 33. Excerpta varia, videlicet ex *Auguſtino Triumpho* dicto *de Ancona* pariter O. Erem. Aug. *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, libro ſaepius edito. De *Friderico II.* Imp. volente auferre temporalia ab Eccleſia, ejusque hac de re ad Principes *Epiſtola*, quae eſt in *Editis* L. I. 2. *Ex Paſtorali Ade de Mariſco.* Puto Franciſcani hujus *Angli* intelligi *Epiſtolam ad Sewallum* Archiep. *Eborac.* datam, ut ait *Tannerus* in *Bibl.* p. 8. a. 1253. quamvis iuxta alios